



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**


**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De humana foelicitate differendum proponitur. Cap. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**



STEPHANI THEVPOLI,

BENEDICTI F.P.A-

TRITII VENETI,

ACADEMICARVM

*Contemplationum,*

LIBER X.

*De Humana fælicitate differendum proponitur.*

CAP. I.

**Q**UONIAM finis, cui inseruire, ope  
remque ferre debet humana co-  
templatio, est Homo; ac ob id so-  
lum vigilandum, laborandumq;  
nobis est præscientiarum acqui-  
sitione; ut nos in ipsis à corporeal abe purge-  
mus, & pro facultate perficiamus; ac insuper,  
quoniam hominis perfectio, & scopus nobis  
in hoc vitæ cursu propositus, Fœlicitas est: iu-  
re in fine mearum Platonicarum contempla-  
tionum, de Homine, ut de fine cui, de Fœlici-  
tate, ut de scopo postremo, in quo solo cumu-  
latè requiescimus, mihi differendū proposui.  
Natura in formando homine, de nulla alia re  
magis sollicita fuisse visa est, quam, ut ad sub-

limein hāc perfectionem eum redderet aptissimum: propterea, præter animi facultates, ei pro origine dedit admirationem; pro medio, animi habitus: pro fine, ei fœlicitatem proposuit. Habilitas ad admirationem, est hominis affectio origine prima: facilitas ad capessendas disciplinas, est proprietas origine secunda: facultas ad assequendam fœlicitatem, est proprietas origine postrema; perfectione vero, & intentione præcipua: in quo ternario numero, vniuersa hominis perfectio posita est. Et quoniam de attinentibus ad duas præcedentes proprietates, satis superque in præcedentibus sum loquutus; superest solūm, ut de animi habitibus, tanquam de proxima ad fœlicitatem dispositione, loquar; ac demum immensam humanae fœlicitatis amplitudinem quambreuissimè perstringam:

*De Animi habitibus.*

CAP. II.



Venadmodum ad nostrū corpus se habet sanitas, & pulchritudo; ita ad animam se habere putandum est virtutes in more positas, & scientiam: ut corpus per naturam præfertim formosum est, & bene valet; ita anima, ex sui natura, virtutibus, & scientiis est decorata: Deinde, ut ars, & humana industria, conducunt ad sanitatem recuperandam, ad illustrandamque formam; ita disciplina, & studium, apprimè necessaria sunt